



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

Parisiis, 1644

Concilivm Bracarense II. Svb Mirone Svevorvm Rege, Anno Domini DLXXII.
post obitum Ioannis Papae III. tempore interregni pontificii celebratum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15324

ISTÆ SVNT INTERPRETATIONES ANNO CHRISTI 569.
ciuitatum in Hispania, quarum fuerunt nomina mutata tempore Saracenorum.

Ispalis, id est	Senilla.
Affidona	Sidonia.
Eliberi	Granada.
Astigi	Berga, quæ nunc dicitur Eciya.
Egabro	Capta, quæ nunc dicitur Cepta.
Tuccis	Xerez.
Pace	Bocalgaze, quæ nunc dicitur Badajoz.
Exonoba	Seduma.
Aguitania	Lucena.
Caliabria	Montanges.
Oreto	Calatraua.
Beacia	Baeça.
Mentefa	Iaen.
Acepridani	Guadix.
Basti	Baza.
Vrci	Almeria.
Acarta	Bagastri. Hic iacet Tiestis episcopus Bergaræ.
Illia	Belsa.
Setabis	Xatiua.
Valeria	Valentia.
Compluto	Guadalfajara.
Vrci, quæ modo Almeria vocatur: inde versus:	
	<i>Insistens operi venit Indalecius Vrci,</i>
	<i>Quæ post mutata fuit Almeria vocata.</i>

^a CONCILIVM ^b BRACARENSE II. ANNO CHRISTI 574.

SVB MIRONE SVEVORVM REGE, ANNO Domini DLXXII. post obitum Ioannis Papæ III. tempore interregni pontificii celebratum.

TITVLI CAPITVLORVM.

Innocent. II Lin epist. ad Compustellanum archiepiscopum de Concilio Bracarenfi II. inquit: De quo non dubitatur quin sit authenticum.

- I. *Vt episcopus ambulet per diocesim suam, & ante triginta dies pasche catechumeni doceantur symbolum.*
- II. *Vt episcopus per diocesim ambulans, duos solidos tantum accipiat, neque tertiam partem de oblationibus querat: & clerici non agantur more seruili.*
- III. *Vt episcopus in ordinatione clericorum commodum nullum accipiat.*
- IV. *Vt pro chrisma episcopus nihil accipiat.*

v. *Vt*

ANNO
 CHRISTI
 572.

V. *Vt pro constitutione basilica
 episcopus nihil exigat.*

VI. *Vt qui oratorium pro quatuor
 suo in terra propria fecerit, non
 consecretur.*

* f. acci-
 piatur

VII. *Vt de baptizatis nullum * ac-
 cipiat premium.*

VIII. *Vt qui clericum accusauerit, &
 id non probauerit, excommunicetur.*

IX. *Vt per singulos annos a me-
 tropolitano episcopo pascha pro-
 nuntietur.*

X. *Vt presbyter post cibum non
 teneat Missam pro mortuis.*

REGNANTE Domino nostro Iesu Christo, curren-
 te æra 610. c anno secundo regis^d * Mironis, * die
 Kalendarum Iuniarum, cum Gallaciæ prouinciæ epi-
 scopi, tam ex Bracarensi, quam ex Lucensi Synodo,
 cum suis metropolitanis, præcepto præfati regis simul
 in metropolitana * Bracarensi, episcopi conuenissent, id
 est, Martinus * Nitigisius, Remisol, Andreas, * Lu-
 cretius, * Adorius, * Vvittimer, Sardinarius, Viator,
 * Auila, Polemius, Maylocus; confidentibus his simul
 episcopis, atque vniuerso clero præsentem, Martinus Bra-
 carensis sedis episcopus dixit: Inspiratione hoc Dei cre-
 dimus prouenisse, sanctissimi fratres, vt per ordinatio-
 nem domini gloriosissimi filii nostri regis, ex vtroque
 Concilio conueniremus in vnum, vt non solum de vi-
 sione * alterutra gratulemur, sed etiam ea quæ ad ordi-
 nationem & disciplinam ecclesiasticam pertinent, pa-
 riter conloquamur. Scriptum est enim in * euangelis,
 dicente Domino: *Vbicumque fuerint duo vel tres con-
 gregati in nomine meo, ibi ero in medio eorum.* Nitigisius
 ecclesiæ Lucensis episcopus dixit: Nec aliud potest
 credi, nisi ea quæ ad vtilitatem nostrarum pertinent
 animarum, diuina inspiratione & inchoari & per-
 fici * posse. Et ideo vnanimis, atque idipsum in Domi-
 no sentientes, quæcumque ad instructionem nostram
 pertinent, in medium prolata desideramus agnosce-
 re.

Martinus episcopus dixit: Arbitramur vestram bea-
 titudinem recordari, quia cum primum in ecclesia Bra-
 carensi episcoporum Concilium congregatum est, post
 multa quæ ad concordiam rectæ fidei fuerant roborata,
 aliqua etiam quæ regularem sanctorum Canonum
 continent discretionem, firmuimus; quorum vtilitas vt
 possit euidentius in memoriam reuocari, ipsa (si vobis

Concil. Tom. 12.

O O O O

Erat Bracaren-
 sis anti-
 quior Lu-
 censi, vnde
 primum lo-
 cum obti-
 nebat. Is
 etiam I.
 Concilio
 interfuit,
 nondum
 episco-
 pus Braca-
 rensis. Ni-
 tigius vero
 erat episco-
 pus Lucen-
 sis: vnde
 secundum
 dicendi te-
 nuit locum.

Matth. 18.

* Aria-
 miri,
 * die 18.
 Kalendarum Iuniarum
 * Braca-
 rensi ec-
 clesia
 conuenis-
 sent,
 * Nitigis
 * Lucen-
 tius,
 * Adori-
 us,
 * Vvitti-
 mer,
 * Anila,

* alteru-
 trum

* euan-
 gelio,

* oportet.

placet) epistola in vestra presentia relegatur.

Omnes episcopi dixerunt: Oportet * omnibus modis, ^{ANNO CHRISTI 572. * omni. mode} vt in omnium auribus qui hic * adstant, recitetur. Recitatis ergo capitulis *, quæ ne prolixitatem facerent, his gestis minime sunt inserta, Martinus episcopus dixit: Hæc ergo quæ modo sunt recitata, quæ nobis tunc aut varia, aut dubia, aut inordinata sunt visa, auxiliante Deo, directa sunt, & suam * immobiliter obtinent firmitatem: ^{* assistant * suppetio- ris Con- ciliis, que} quæ autem tunc in memoriam non venerunt, aut onerosum fuit in primo illo Concilio multa simulingere, necessarium videtur modo ad notitiam sanctæ vestræ caritatis deferri, in eo specialiter prospectu, vt spiritali ventilata examine purgentur. Sancti enim patres ac præcessores nostri, aut generales Synodos vndique * collecti, ^{* innioli- bilitat} pro vnitæ rectæ fidei fecerunt; sicut in Nicæa contra Arium trecenti decem & octo, & in Constantinopoli contra Macedonium centum quinquaginta, & in Epheso contra Nestorium ducenti, & in Calchedone contra Eutychem sexcenti triginta: aut certe speciales Synodos per suas vnusquisque prouincias, pro * secandis ^{* refec- dis} contentionibus, vel emendandis aliquorum negligentis collegerunt; & prout euentus culparum aut qualificumque excessus exegit, per singulas quoque diffinitas Canonum sententias, mediante inter eos Dei spiritu, conscripserunt: quas oportet nos * legere, & intelligere, ^{* relig-} & tenere. Et quia, opitulante Christi gratia, de vnitæ ¹⁶ & rectitudine fidei in hac prouincia nihil est dubium, * illud nobis specialius est agendum, vt si quid fortasse ^{* mola} extra apostolicam disciplinam per ignorantiam, aut per negligentiam, reprehensibile inuenitur in nobis, recurrentes ad testimonia sacrarum scripturarum, vel antiquorum Canonum instituta, adhibito communi consensu, omnia quæ displicuerint, rationabili iudicio corrigamus. Et primum, si placet, relectis beati apostoli Petri præceptis, quæ pro regula sacerdotum in sua epistola euidenter adscripsit, quidquid non eodem tenore, sicut princeps apostolorum edocuit, agi videtur a nobis, sine vlla cunctatione ad emendationem ducere festinemus; ne fortasse dum aliis prædicamus, ipsi reprobi effecti, diuino illo condemnemur eloquio dicente: *Tu vero*

1. Cor. 9.

Psal. 49.

ANNO
 CHRISTI
 572.

odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos post te. Omnes
 episcopi dixerunt: Cupimus memoratam apostoli Pe-
 tri epistolam ad locum ipsum, vbi sacerdotes docet, au-
 dire. Tunc allato libro, hæc ex eadem epistola recitata
 sunt: *Seniores obsecro consenior, pascite qui est in vobis gregem Dei,*
prouidentes non coacte, sed spontanee, secundum Deum: neque tur-
pis luci gratia, sed voluntarie; nec vt dominantes in deris, sed
ma facti gregis ex animo: vt cum apparuerit princeps pastorum,
recipiatis immarcescibilem gloriæ coronam. His relectis, omnes
 episcopi dixerunt: Cognitis his quæ ex epistola B. Petri
 apostoli recitata sunt, desideramus, auxiliante Dei gra-
 tia, diuinis obedire præceptis, & apostolicæ epistolæ qua
 nobis recitata est, in omnibus formulam imitari: ne forte
 in aliquibus inordinate ambulantes, diuino (quod absit)
 iudicio condemnemur; sed vt sanctorum patrum vesti-
 gia subsequentes, in ipsorum requie mereamur esse par-
 ticipes, & immarcescibilem illam gloriæ coronam, qua
 repromissa est, cum ipsis accipere mereamur. Ob hoc
 ergo tuam simul omnes deposcimus caritatem, vt has
 omnes causas singulis capitulis breuiter comprehensas,
 qualiter corrigi debeant, his gestis subter annectas:
 quæ cum studiosius relecta, & in notitiam omnium
 nostrorum euidenter fuerint perducta, propria vnusquis-
 que manu pro eorum emendatione & confirmatione
 subscribat; vt non solum nobis, sed etiam successoribus
 nostris, hæc ad perfectionem episcopalis officii decreta
 proficiant.

Et est apud
 Apostolum,
 Percipietis.
 Apud Pe-
 trum, Perci-
 pietis: Exc.

* formæ

* gregi

* in his
 omnibus

* perci-
 pere

* vel qua-
 liter

CANONES.

I.

Placuit omnibus episcopis, atque conuenit, vt
 per singulas ecclesias episcopi per diœceses am-
 bulantes, primum discutiant clericos, quomodo
 ordinem baptismi teneant, vel Missarum, &
 quæcumque officia in ecclesia peraguntur.
 Et si recte quidem inuenerint, Deo gratias a-
 gant: si autem minime, docere debeant ignaros

* & per
 diœceses
 euntes,

* & qua-
 liter quæ-
 cumque
 peragunt.

* debent

10. q. 1. Pla-
 cuit omni-
 bus episc-
 Burch. ca.
 75. lib. 1. luo
 p. 1. ca. 75. &
 p. 5. c. 192.

De conf.
 distinct. 4.
 Ante vigin-
 ti dies.

& hoc modis omnibus præcipere, vt sicut antiqui Canones iubent, ante viginti dies baptismi, ad purificationem exorcismi catechumeni currant: in quibus viginti diebus omnino catechumeni symbolum, quod est, Credo in Deum Patrem omnipotentem, specialiter doceantur. Postquam ergo in his suos clericos discusserint, vel docuerint episcopi, alia die, conuocata plebe ipsius ecclesiæ, doceant illos, vt errores fugiant idolorum, vel diuersa crimina (id est) homicidium, adulterium, periurium, falsum testimonium, & reliqua peccata mortifera; aut quod nolunt sibi fieri, non faciant alteri: & vt credant resurrectionem omnium hominum, & diem iudicii; in quo vnusquisque secundum sua opera recepturus est. Et sic postea episcopus de ecclesia illa proficiscatur ad aliam.

II.

Placuit, vt nullus episcoporum, cum * per dice-^{* per ec-}ceses suas ambulat, præter honorem cathedræ ^{clesias} suæ, id est, duos solidos, aliquid aliud per ecclesias tollat: neque tertiam partem ex quacumque oblatione populi in ecclesiis parochialibus * re-<sup>* facti-
bi vlti-
per, sed
ecclesie
reparatio-
ni seruetur, & in
singulis
annis epi-
scopo tri-
tio fiat.
* & sum-
recta</sup>quirat; sed illa tertia pars pro luminariis ecclesiæ, vel recuperatione seruetur, & singulis annis episcopo inde ratio fiat. Nam si tertiam partem illam episcopus tollat, ^s lumen * & sacra abstulit ecclesiæ. Similiter & vt parochiales clerici, seruilimore in aliquibus operibus, episcopis seruire non cogantur; quia scriptum est: *Neque vt dominantes in * clero.* ^{* clerici}

1. Pet. 5.

ANNO
 CHRISTI
 572.

III.

Placuit, vt de ordinationibus clericorum episcopi munera nulla suscipiant, sed, sicut scriptum est, quod gratis donante Deo accipiunt, gratis dent. Et non aliquo precio gratia Dei & impositio manuum venundetur: quia^h antiqua definitio patrum ita de ecclesiasticis ordinationibus statuit, dicens: Anathema sit danti, & accipienti. Propterea, quia aliquanti multis sceleribus^{*} obruti, sancto altario indigne ministrantes, non hoc testimonio bonorum actuum, sed profusione munerum obtinent: oportet ergo non per gratiam munerum, sed per diligentem prius discussionem, deinde per multorum testimonium, clericos ordinare.

IV.

Placuit, vt modicum balsami, quod benedictum pro baptismi sacramento per ecclesias datur, quia^{*} singuli tremisses pro ipso exigi solent, nihil vltius['] exigatur: ne forte quod pro salute animarum per inuocationem sancti Spiritus consecratur, sicut Simon magus donum Dei pecunia^{*} emere, ita nos venundare damnabiliter videamur.

i. qu. 1. Placuit, vt nullus. Materia chrisimatis est balsamum cum oleo. Ita Gregorius papa exponens illud Cantici: Botrus Cypri. Act. 8.

V.

Placuit, vt quotiens ab aliquo fidelium ad consecrandas ecclesias episcopi inuitantur, non quasi ex debito munus aliquod a fundatore requirant; sed si ipsi quidem aliquid ex suo voto obtulerint, non respuatur. Si vero aut paupertas illum, aut necessitas retinet, nihil exigatur ab illo. Hoc tantum vnusquisque episcoporum meminerit vt non prius dedicet^{*} ecclesiam aut basilicam,^k nisi antea dotem

* sed ipse fundator siquidem aliquid ex voto suo obtulerit,

* ecclesia, nisi

basilicæ, & obsequium ipsius per * donationem chartulæ confirmatum accipiat. nam non levis est ista temeritas, si sine luminariis, vel sine * sustentatione eorum qui ibidem seruituri sunt, tamquam domus priuata, ita consecretur ecclesia.

ANNO
CHRISTI572.
* ordina-
tionem* substan-
tiali sus-
tentatio-
ne.

V I.

De consecr.
distinct. 1.
Si quis ba-
silicam.

Placuit, vt si quis basilicam, non pro deuotione fidei, sed pro quæstu cupiditatis ædificat, vt quidquid ibidem de oblatione populi colligitur, medium cum clericis diuidat; eo quod basilicam in terra sua ipse * condiderit: quod in aliquibus locis vsque modo dicitur fieri. Hoc ergo de cetero obseruari debet, vt nullus episcoporum tam abominabili voto consentiat, vt basilicam, quæ non pro sanctorum patrocinio, sed magis * tributaria conditione est condita, audeat consecrare.

* quæstus
causa cõ-
diderit* sub tri-
butaria

V I I.

1. qu. 1. Pla-
cuit, vt v-
nusquisque.
Decr. luon.
p. 1. cap. 74.
† An liceat
sponte ob-
latum reci-
pere in ad-
ministratio-
ne sacramen-
torum, dixi-
mus Conc.
II. c. 8.

Placeat, vt vnusquisque episcopus per ecclesias suas hoc præcipiat, vt hi qui infantes suos ad baptismum offerunt, † si quid voluntarie pro suo offerunt voto, suscipiatur ab eis; si vero per necessitatem paupertatis aliquid non habent quod offerant, nullum illis pignus violenter tollatur a clericis. Nam multi pauperes hoc timentes, filios suos a baptismo retrahunt. * Quod si forte dum differunt, sine gratia baptismi de hac vita recesserint; necesse est, vt ab illis eorum perditio requiratur, quorum * expolia pertimescentes, a baptismi se gratia retraxerunt.

* Qui si
forte dũ
differunt.

* spolia

V I I I.

2. qu. 5. Pla-
cuit, vt si

Placuit, vt si quis clericorum aliquem in accu-

ANNO
 CHRISTI
 572.

satione fornicationis impetit, secundum præceptum Pauli apostoli, duo vel tria testimonia requirantur ab illo: quod si non potuerit datis testimoniis approbare quæ dixit, * excommunicationem accusati accusator excipiat.

* accusa-
 tionem

quisaliquē.
 Burch. li. 2.
 cap. 202.
 Iuo p. 6.
 cap. 276.

IX.

Placuit, ut postquam omnia in Concilio sacerdotum fuerint ordinata, illud omnibus modis obseruetur, ut * superuenturum ipsius anni pascha, quoto Kalendarum die, vel quota luna debet suscipi, a metropolitano episcopo * nuntietur. Quod ceteri episcopi, vel reliquus clerus, breuiculo subnotantes, vnusquisque in sua ecclesia, adueniente natalis die Domini, adstanti populo, post lectionem euangelicam nuntient, ut introitum quadragesimæ nullus ignoret: in cuius principio conuenientes in vnum vicinæ ecclesiæ, per triduum cum psalmis per sanctorum basilicas ambulantes, celebrent litanias. Tertio autem die, celebratis hora nona siue decima Missis, dimisso populo, præcipiant quadragesimæ seruare ieiunia, & mediante quadragesima, ex diebus viginti baptizandos infantes ad exorcismi purgationem offerre.

* super-
 uenturi

* intimo-
 tur.

De consecr.
 distinct. 3.
 Placuit, ut
 postquam.
 De pascha-
 tis celebra-
 tione dixi-
 mus Conc.
 Tol. X. c. 1.

Sic institu-
 tum est Cō-
 cil. Tol. V.
 cap. 1. &
 Tol. VI. c. 2.

X.

Placuit, ut quia per stultitiam præsumpti nuper erroris, aut certe ex veteris Priscillianæ adhuc hæresis foetore, * corruptos cognouimus quosdam presbyteros in huius præsumptionis audacia detineri, ut * in Missa mortuorum etiam post acceptum merum, oblationem ausi sunt consecrare, ideoque hoc præfixe euidentis sententiæ admoni-

* corru-
 pto

* missas
 mortuo-
 rum

tione seruetur, vt si quis presbyter post hoc edictum nostrum amplius in hac vesania fuerit deprehensus, id est, vt non ieiunus, sed quocumque iam cibo præsumpto, oblationem * consecrauerit, continuo ab officio suo priuatus, a proprio deponatur episcopo.

De missa a
ieiunis cele-
branda diximus
Concil. Tolet.
VII. cap. 2.

ANNO
CHRISTI
572.

* conse-
crauerit
in altari,
continuo

His * itaque gestis, placuit omnibus pro confirmanda horum obseruantia, propria vnumquemque manu subscribere; * eo placito facto, vt si quis horum capitulorum terminum transgressus, ad inordinatas consuetudines reuerti voluerit, totius Concilii * increpatione correptus, * seuerissimam sibi de sui ordinis inclinatione noverit imminere sententiam.

* ita

* eorum
placitorum

* excom-
municati-
one
* verissi-
mam

SVBSCRIPTIONES.

^m Martinus Bracarenensis metropolitanae ecclesiae episcopus, his gestis subscripsi.

Remisol Visensis ecclesiae episcopus, his gestis subscripsi.

* Lucetius Conimbriensis episcopus, his gestis subscripsi.

* Adorius Egitanæ ecclesiae episcopus, his gestis subscripsi.

Sardinarius Lamecensis ecclesiae episcopus, his gestis subscripsi.

Viator Magnetensis ecclesiae episcopus, his gestis subscripsi.

* Lucen-
tius Co-
nimbrici-
ensis
* Adori-
cus

ITEM EX SYNODO LVCENSI.

* Nitigisius Lucensis ecclesiae episcopus, his gestis subscripsi.

Andreas Iriensis ecclesiae episcopus, his gestis subscripsi.

* Vuitimer * Auriensis ecclesiae episcopus, his gestis subscripsi.

* Auila Tudensis ecclesiae episcopus, his gestis subscripsi.

Polemius * Asturiensis ecclesiae episcopus, his gestis subscripsi.

Mailoc * Britonenensis ecclesiae episcopus, his gestis subscripsi.

* Nitigis
Lucensis
metro-
politanae
ecclesiae
* Vuiti-
mer
* Caurio-
sis
* Anila
* Asturi-
censis
* Briti-
norum

NOTE.

^a *Concilium.*] In hoc Concilio statuti sunt Canones decem ad ecclesiasticam disciplinam pertinentes. Obseruandum, in hac enumeratis quatuor œcumenicis Conciliis, quintam Synodum omitti, quod in illis de fide, in hac de personis dumtaxat actum fuerit. Vide quæ dixi supra in notis quintæ Synodi verbo *approbatum*. Baronius anno 572. num. 13.

^b *Bracarense.*] Ad ea quæ supra dixi de hac vrbe, adde quæ sequuntur: *Augusta Bracarum*, inquit Ortelius, *Plinio: Bracar Augusta Ptolemaeo, citerioris Hispania vrbs est, quæ hodie Braga, Ambrosio Morali. Pro Bracar apud Ptolemaum Breacar scribendum suspicor,*

ANNO
 CHRISTI
 572.

cor, cum gentis illius caput sit, quam Strabo & Ptolemæus Brecarios nominant.

^c Anno secundo.] Dicitur in excusis, hoc Concilium sub Honorio papa I. fuisse coactum, sed perperam; cum ex æræ supputatione constet, Honorium primum, septuagesimum nonum a Petro Romanam sedem rexisse, anno Domini 623. temporibus Sisebuti regis: Concilium vero Bracarense II. anno Domini 572. fuit gestum, forte sub Ioanne IV. temporibus Leouegildi Gothorum regis. Neque etiam prouinciale fuit strictè, cum a duobus metropolitanis totius prouinciæ Gallæciæ fuerit celebratum. *Garfias.*

De tēpore
 Concilii.

Fortè sub
 Ioanne III.
 legendum.

^d Mironis.] Idem Theodomirus qui æra 607. congregauit Concilium Lucense. sic enim inuenio scriptum: *Ego Theodomirus rex cognomento etiam Mirus, Gallaciæ totius prouinciæ rex, &c. & infra. His itaque determinationibus, seu definitionibus, a me Nitigio nutu Dei Lucensis sedis episcopo diligentissime exquisitis, per antiquorum virorum scientiam, seu scripturarum seriem vetustarum, studiosissime prius peractam Bracarensem Synodum secundam ibidem in diebus gloriosissimi domini Mironis regis, sub æra DC X. in presentia ipsius regis & omnium catholicorum magnatum totius Gallaciæ. Hæc ibi. Vnde constat Theodomirum & Mironem eundem esse regem, qui huic Synodo interfuit. Garfias.*

Sub quo re-
 ge Sueuorū
 Bracar. I I.
 Concilium
 habitū sit.

Hanc Synodum celebratam esse anno secundo Ariamiri regis, qui cum æra 610. Christi que nati 572. coincidit, acta Concilii aperte testantur. Hæc tempora Theodomirus ante biennium defunctus attingere non potuit: utpote qui, teste Ambrosio Morali, non nisi decem annis regnauerit, quorum primum cepit anno Christi 560. vltimum anno eiusdem Christi Domini nostri 570. compleuit, consecutus heredem & successorem regni illum filium, quem sancti Gregorii Turonensis auctoritate per sancti Martini reliquias miraculose a morbo curatum supra recensui. Cum itaque hæc Synodus celebrata fuerit æra 610. quam Theodomirus rex æra 608. defunctus attingere non potuit, nullo pacto defendi potest quod ait Garfias, eundem Theodomirum vtrumque Bracarense Concilium conuocasse. In constitutionem regiam, cuius auctoritate Garfias nititur, mendum irrepsisse probat Baronius anno 572. num. 12. Hæc Synodus mense Decembri prædicti anni celebrata, post Ioannem mense Iulio defunctum, habita fuit tempore interregni pontificii.

^e Cum suis metropolitanis.] Ecclesia Lucensis facta est metropolitana, ut supra diximus, æra 609. in Concilio Lucensi tempore Theodomiri regis Sueuorum celebrato. De quo Ambrosius Morales diligens nostrarum rerum indagator, post Vassæum lib. II. chronici generalis cap. 59. affirmat se in tabulis archiui ecclesiæ Lucensis legisse sic scriptum: *Tempore Sueuorum sub æra DCVII. die Kalendarum Januarii, Theodomirus princeps Sueuorum Concilium in ciuitate Lucensi fieri præcepit, ad confirmandam fidem catholicam, vel pro diuersis ecclesiæ causis. In eo, inquit, Concilio facta est metropolitana Lucensis ecclesia; ecclesiæ tamen Bracarensi subiecta. Oppositum le-*

Acta Lu-
 censis pri-
 mæ Synodi.

Concil. Tom. 12.

PPPP

go in Concilio Lucensi. Hinc est quod ecclesia Bracarenfis hac ratione innixa, primatus Hispaniæ nomen sibi arroget. *Garfias.*

Cap. 1.
Catechumenus quis.

^f *Catechumeni symbolum.*] Sic Concilium Laodicense cap. 46. *Baptizatos oportet fidei symbolum discere, & quinta feria vltima septimana, vel episcopo, vel presbytero reddere.* Idem Concilio VI. generali, cap. 78. Gregorius papa lib. 3. epistola quarta. Et nomen suum dabant quadraginta dies, vel eo amplius ante, & exorcismis, quotidianisque orationibus & ieiuniis expiabantur, vt illa apostolica in illis impleretur præceptio: *Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio*, 1. ad Corinth. 5. Id constat ex epistola Siricii papæ ad Himerium episcopum Tarraconensem, & Cælestini papæ primi ad episcopos Gallæciæ, cap. 12. Et cum ventum erat ad baptismi gratiam suscipiendam, illud reddebant. Ambrosius libro secundo de sacramentis, cap. 7. *Interrogatus es, inquit, Credis in Deum Patrem omnipotentem? & dixisti; Credo, & miseristi?* Idem Hieronymus in 2. cap. Prouerbiorum, & Augustinus libro de fide & operibus cap. 12. & his antiquior sanctus Dionysius Areopagita, de ecclesiastica hierarchia cap. vltimo. *Garfias.*

Cap. 2.
Vfus luminarium in ecclesia antiquus.

^g *Lumen & sacra.*] Lumen & luminaria ecclesiæ, ab origine nascentis ecclesiæ, semper fidelibus magno in honore ad cultum Dei habita, ingentique cura obseruata. Vnde narrat Eusebius lib. 6. cap. 7. & Nicephorus lib. 5. cap. 9. quod cum oleum deesset luminari- bus in die solenni vigiliarum paschæ in ecclesia Hierosolymitana, Narcissus Hierosolymitanus episcopus aquam imperauit deferri, eamque benedixit, & infundi lampadibus: *tunc, ait Eusebius, repente, miro & seculis inaudito genere virtutis, natura aquæ in olei pinguedinem versa, splendorem luminum etiam solito reddit clariorem.* Simile miraculum commemorat Gregorius lib. 1. dialogorum cap. 5. & lib. 3. cap. 30. lampades immisso diuinitus lumine accensas fuisse. *Garfias.*

Cap. 3.
Ordines gratis conferendi.

^h *Antiqua definitio.*] Gratis ordines esse conferendos, ne Spiritui sancto contumelia irrogetur, dum eius donum precio temporali æstimatur & traditur, (vile enim est omne quod in humanam æstimationem cadit) id docuit primo Hormisda papa in epistola ad episcopos Hispaniæ cap. 2. & Concilium Aurelianense II. cap. 3. & II. Turonense cap. 28. & Toletanum IV. cap. 18. & VIII. Toletanum cap. 3. & Tolet. XI. cap. 8. & 9. nouissime sancta & vniuersalis Synodus Tridentina sess. 21. cap. 1. *Garfias.*

Cap. 4.

ⁱ *Exigatur.*] Chrisma vt gratis detur, statutum est ab Eugenio II. papa cap. 20. & Alexandro papa III. cap. 10. & in Concilio Cabilonensi, tempore Caroli magni, cap. 16. *Garfias.*

Cap. 5.
Ad consecrandam ecclesiam duo necessaria. Dos ecclesie.

^k *Nisi antea dotem basilicæ.*] Post extructam basilicam, duo ex antiquis decretis ecclesiæ sunt necessaria ad rem diuinam in ea agendam: vnum est dos, alterum consecratio. Dos opus est, vt sacerdotum victui & vestitui aptius consuleretur, eorumque rationibus prouideretur. In Concilio Tolet. III. c. 15. *Episcopis interdicitur ecclesiam consecrare, nisi prius dotem chartula confirmatam habuerint.* Sanctus

ANNO
CHRISTI
572.

Chrysofomus homilia 18. in Acta: *Quasi*, inquit, *ducta uxore, vel sponsa, vel data virgine, sic erga ecclesiam affectus sis: dotem inscribe illi; ita tibi benedictionis pradium multiplicabitur.* De consecr. distinct. 1. cap. Nemo. & Can. Cum sicut. Formulam huius chartæ legi in archiuis ecclesiæ Toletanæ, in dote quam ei inscripsit Adefonsus sextus rex liberali munificentia. *Ego rex* (inquit) *Adefonsus constituo chartam dotis beate Mariae virginis, & omnibus sacerdotibus caste & pie vitam agentibus, &c.* Consecratio vero ecclesiæ ab apostolis fluxit: ipsi a Domino eam acceperunt, & nobis tradiderunt. Clemens epistola secunda ad Iacobum fratrem Domini, & epistola 3. & Canon. Ecclesiast. 16. quæst. 7. & Canon. Ecclesiæ, & omnes. de consecr. distinct. 1. Athanasius ab Arianis accusatus, quod synaxem in ecclesia nondum consecrata celebrasset, ipse respondit in epistola ad Constantinum imperatorem, frequentia populi & necessitate, & periculi metu coactum fuisse. *Garfias.*

Cōsecratio
ecclesiæ
quid.

¹ *Missa mortuorum.*] Pro viuis & defunctis esse Missas celebrandas, antiquus ecclesiæ catholicæ retinet mos, vt ex Gregorii II. papæ epistola octaua constat, & ex Concilio Tribur. sub Arnulfo imperatore cap. 15. & ex Concilio Toletano XVII. & ex Augustino lib. de cura pro mortuis agenda, capite primo & quarto, & lib. de ciuitate Dei 20. cap. 9. & in enchiridio, cap. 100. & ex Chrysofomo sermone tertio in epistolam ad Philippenfes, & ex Cypriano martyre, libro primo epist. 9. & Concilio Cabilonensi cap. 39. *Garfias.*

Cap. 10.
Oratio pro
defunctis
antiqua.

^m *Martinus.*] Martinus ex Dumienfi abbate creatus est episcopus Bracarenfis. Erat metropolitanus. & antiquior Nitigisio Lucenfi, qui erat etiam metropolitanus. nam, vt diximus, in prouincia Gallæciæ duo metropolitæ continebantur. Successit Martinus Lucretio, Remisol Vifensis, Lucentius, & non Lucretius Conimbriensis, Adorius Egitanæ, Sardinarius Lamecensis, Viator Magnetenfis. *Garfias.*

ⁿ *Nitigisius.*] Nitigisius primæ sedis Lucensis ecclesiæ episcopus, Andreas Iriensis, qui subscribit in primo Bracarenfi; Vuitimer Auriensis, Auila Tudenfis, Polemius Asturicensis, Mailoc Britonenfis. Hinc colliges in prouincia Gallæciæ fuisse duodecim cathedrales sedes, nimirum. *Garfias.*

In Bracarenfi metropoli.

In Lucenfi.

Viseo.

Iria.

Conimbria.

Auria.

Egitania.

Tude.

Lameco.

Asturica.

Magneto.

Britona.

Hæ omnes ciuitates, extincto Sueuorum imperio, ad Bracaram sunt redactæ sub Gothis. *Garfias.*

FRAGMENTA QUÆ CITANTVR
EX CONCILIIIS BRACARENSIBVS,
& eis non extant, per Garfiam Loaisam.

EX CONCILIO BRACARENSI.

CAP. III.

Burch. lib.
4. cap. 8.

HOC omnimodis præcipimus, & antiqui Canones præcipiunt, vt ante baptismum, viginti dies ad purgationem exorcismi catechumeni veniant, & in illis viginti diebus iuxta canonicum præceptum & erudiantur & confecrentur.

EX CONCILIO BRACARENSI.

CAP. XXII.

Burch. lib.
10. cap. 21.

Si in alicuius presbyteri parochia infideles aut faculas incenderint, aut arbores, aut fontes, aut saxa venerantur; si hoc eruere neglexerit, sacrilegium se fecisse cognoscat præsumptor aut hortator rei ipsius: si admonitus hoc emendare neglexerit, communione priuetur.

EX CONCILIO BRACARENSI.

CAP. XXXI.

Burch. lib.
3. cap. 180.

Quicumque presbyter de iure tituli sui quolibet modo aurum, argentum vel gemmas, vestes quoque si sunt, vel si accesserint aliqua mobilia ad ornamenta diuina, aliquid in perpetuum alienare tentauerit, donator, alienator, ac venditor honoris sui amissione mulctetur.

EX EODEM.

CAP. LXXX.

Burch. lib.
10. cap. 39.

Si quis balationes ante ecclesias sanctorum fecerit, seu qui faciem suam transformauerit in habitu muliebri, & mulier in habitu viri, emendatione pollicita tres annos pœniteat.

EX CONCILIO BRACARENSI III.

CAP. VIII.

Gratianus
12. qu. 4.

Quicumque sub hoc neglectu res diuinas laborare distulerit, speciali placito distringendus est; vt si de rebus

ANNO
CHRISTI
572.

vel augmentis ecclesiæ quæstum laboris suis proprie auxit, & ex hoc ecclesiasticis rebus aut neglectum laboris exhibuit, aut minorationem vel perditionem induxit, quidquid in rebus ecclesiæ minuit, ille restituat, ex cuius rebus atque suffragiis suos conuictus fuerit ampliassse labores. Quod si aliquid pro vtilitatibus ecclesiæ, aut substantiæ expendit, aut dispendii vel perditionis quippiam pertrulerit; si hoc comprobare potuerit, totum illi a rebus ecclesiæ eiusdem reformabitur, pro cuius vtilitate id expendisse probatur. Si vero de rebus ecclesiæ tantummodo aliqua acquisisse noscuntur, & ad nomen ecclesiæ instrumenta debent componere, nec aliquibus poterunt illa donare.

* CONCILIVM LVCENSE II.

ANNQ DOMINI DLXXII. CELEBRATVM

post obitum Ioannis III. tempore
interregni pontificii.

NOTA.

* *Concilium.*] Hoc Concilium Lucense II. (vt videre est ex constitutione regis, quæ est apud Ambrosium Moralem lib. II. c. 26.) habitum fuit æra 610. anno secundo Ariamiri regis, paulo post quam Bracarense secundum absolutum fuisset. Ab illo ergo Lucensi diuersum esse apparet, quod celebratum est sub Theodomiro parente, æra 607. In constitutione regis, quæ prædicto loco apud Moralem habetur, Theodorus hanc Synodum conuocasse legitur; sed mendose. Canones antiquorum Conciliorum auctore sancto Martino Dumienſe & Bracarenſe episcopo collecti, ad hanc Lucensem Synodum missi fuerunt. Baron. ann. 572. num. 10. 11. 12. item ann. 569. num. 2.

Duo Lucenſia Concilia habita fuerunt.